

Latin Exam

May 2018

Translate the following passages into good modern English prose:

1. Hannibal prepares to cross the Alps (from Livy)

Hannibal ab Druentia campestri maxime itinere ad Alpes cum bona pace incolentium ea loca Gallorum pervenit. tum, quamquam fama prius, qua incerta in maius vero ferri solent, praecepta res erat, tamen ex propinquo visa montium altitudo nivesque caelo prope immixtae, tecta informia imposita rupibus, pecora iumentaque torrida frigore, homines intonsi et inculti, animalia inanimaque omnia rigentia gelu, cetera visu quam dictu foediora, terrorem renovarunt. erigentibus in primos agmen clivos apparuerunt imminentes tumulos insidentes montani, qui si valles occultiores insedissent, coorti ad pugnam repente ingentem fugam stragemque dedissent. Hannibal consistere signa iussit; Gallisque ad visenda loca praemissis postquam comperit transitum ea non esse, castra inter confragosa omnia praeruptaque quam extentissima potest valle locat.

2. In praise of Venus (from The Cambridge Songs)

O admirabile Veneris idolum,  
cuius materiae nihil est frivolum,  
archos te protegat, qui stellas et polum  
fecit et maria condidit et solum.  
furis ingenio non sentias dolum,  
Clotho te diligit, quae baiolat colum.

«salvato puerum», non per hypothesim,  
sed firmo pectore deprecor Lachesim,  
sororem Atropos, ne curet haeresim.  
Neptunum comitem habeas et Thetim,  
cum vectus fueris per fluvium Tesim.  
quo fugis, amabo, cum te dilexerim?  
miser quid faciam, cum te non viderim?  
dura materies ex matris ossibus  
creavit homines iactis lapidibus,  
ex quibus unus est iste puerulus,  
qui lacrimabiles non curat gemitus.  
cum tristis fuero, gaudebit aemulus.  
ut cerva rugio, cum fugit hinnulus.